

rum Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Camera prædictæ, ac quarumvis Universitatum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, naturis, decretis, etiam novis reformationibus, & legibus tam Pontificiis, quam Imperialibus, Regiis, & Ducalibus, & sacris Canonibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis, eorumque superioribus, & personis, ac locis quibuscumque in genere, vel in specie, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam in vim contractus, & statuti perpetui continentibus, ac etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, & aliis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, illis præsertim, quibus inter alia caveri dicitur expresse, quod Beneficia Urbis non nisi personis, sub certis modo, & forma inibi qualificatis, & oriundis ex certis locis, ac trium Ordinum, & Militiarum expresse professis conferri, & commendari possint disponentibus, quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expresse derogamus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem,

Fides transumptorum.

§. 21. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, & sigillo, ac manu alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, & subscriptis, eadem fides tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ ipsi originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nomina autem Conclavistarum, qui in Conclavi hujusmodi interfuerunt sunt hæc, videlicet.

Venerabilis Frater noster Joannes Vincentius Spinula Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Episcopus Tagasten. Sacrista, & dilecti filii Paulus Alaleo Canonicus, Joannes Baptista etiam Alaleo, & Carolus Antonius Vaccarius clerici respectu perpetui beneficiati, beneficiatus, & clerici respectu nuncupati Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Petrus Ciammariconus perpetuus Beneficiatus Ec-

clesia Lateranensis Magistri Cæremoniarum, Mutius Riccerius Camerinus. Canonicus Ecclesiæ Sancti Angeli in foro Piscium Collegii S. R. E. Cardinalium Secretarius, Raphael Pinchiarus presbyter Bononien. & Livius Sonantius Reatinus clericus nostri etiam dum Cardinalatus honore fungebamur. Stephanus Racanus Spoletanus, Hortensius Balestrerius Fanen. Dioc. presbyter, & Joannes Casar Trojanus de Paliano clericus, seu laicus Antonii Ostiensis Sauli. Franciscus Buccius Tifernas, & Joannes Jacobus Baldinus de Apiro Camerinen. Dioc. clerici Benedicti Portuen. Justiniani, Mattheus de Zannis laicus Bononien., & Angelus Orius clericus Anconitanus, Francisci Mariæ Prænestin. a Monte. Sebastianus Bruffatus clericus Casalen., & Cambius Artosinus Forolivien. Miles Militiæ Sanctorum Mauriti, & Lazari, Francisci Tusculan. Sfortiæ. Casar Melottus Canonicus Ecclesiæ Sancti Laurentii in Damaso de Urbe, & Rodolphus Mancinus clericus Perusina Dioc. Alexandri Albanen. de Monte Alto, Venerabilium Fratrum nostrorum Episcoporum. Alphonus Carandinus clericus conjugatus Mutinen., & Miles Militiæ Jesu Christi, Petrus de Castro Toletan., & Tobias Aldinus Cæsenaten. clerici, Odoardi nuper Sanctæ Mariæ in Via lata Farnesii. Franciscus Cavalcantes perpetuus Commendatarius Monasterii S. Petri de Laderchia, alias de Riolo Imolen. Dioc. & Joannes Baptista Buttus clericus Assisen., Oslavii Sancti Laurentii in Lucina Bandini. Hieronymus Signorellus perpetuus Commendatarius Monasterii Sancti Petri Vallis Dafinæ Nucerin. Dioc., Justinus Jacoponus Camerinen., & Palmecius de Palmecius Tiburtin. Dioc. clerici, Bartholomæi Sanctæ Mariæ in Transiberim Cœsi. Petrus Calabrinus Mutinen., & Stephanus de Rosis Cathacen. presbyter, Bonifacii Sancti Petri ad Vincula Bevilacque. Bandinus de Nores Nicofien., Antonius Doftus Ferrarien., & Augustinus Mongardus clericus Montis Politiani, Roberti Sanctæ Prædix Bellarmini. Fabius Tavianus Pistorien., Gherardus Gherardus Urbevetanus, & Nicolaus Accursinus de Sancta Flora clerici, Joannes Baptista Sanctorum Marcellini, & Petri Deti. Emilius Sperellus Assisen., & Franciscus Tedeschius laici Imolen. Dominici Sanctorum Duodecim Apostolorum Gimnassii, Joannes de Zunega Pacen., & Gabriel Pratus clericus Asten., Antonii Sanctæ Balbinæ Zapata. Jacobus Antonius Rigottus Canonicus Tridentin., & Jacobus Franciscinus clericus Veronen., Caroli S. Casarei Madrutii. Jacobus Benedictus Nicofien., & Julius Saracenus Vicentinus presbyteri, ac Franciscus Lambertus clericus Florentin., Joannis Sancti Marci Delphini. Octavii Baccius Canonicus Ecclesiæ S. Mariæ Majoris, etiam de Urbe, & Carolus Falcinellus presbyter Perusin., Scipionis S. Chryfogni Burgessii. Franciscus Adrianus Ceva Montis Regalis, & Antonius Crifolinus clericus a Sancta Sophia, Maffei Sancti Honuphrii Barberini. Fran-

Franciscus Ferentillus Nullius, seu Spoletana Dioc., & Petrus Roncius clericus a Campagnano Nepefina Dioc., Joannis Garzia Sanctorum Quatuor Coronatorum Millini. Joannes Ferraricus Regien., & Franciscus Baruffaldus clericus Cremonen., Marcelli Sanctorum Quirici, & Julittæ Lantes. Claudius Ruthy Bisuntin. Dioc., & Blasius Factorius Presbyteri Ariminen., Michaelis Angeli S. Bartholomæi in Insula Nazareth. Alexander Biffius Florentin., & Joannes Crifentius laici Corrigien., Fabritii Sancti Augustini Veralli. Claudius Sufannus perpetuus Commendatarius Monasterii Sancti Michaelis de Pola Polen. Dioc. S. Benedicti, seu alterius Ordinis, & Franciscus Landus presbyter Tyburtinus, Joannis Baptiste S. Cæciliæ Lenii. Alexander Viola presbyter Aquilan., & Joannes Paulus Leonardus clericus, seu laicus Beneventanus, Decii SS. Jo., & Pauli Caraffæ. Augustinus Jojosius presbyter Sancti Severini, & Gaspar Morellus Romanus, Dominici S. Martini in Montibus Rivarolæ. Sigismundus Thadeus Florentinus, & Josephus Trullier Lingens, & Carolus Gurgas clericus Bitterren., Joannis S. Eusebii Bonifii, Bernardinus Zamya clericus de Sarnano Camerinen. Dioc., & Lauretus de Franchis Presbyter Neapolitan., Philippus Sanctæ Mariæ de Populo Philonardi. Cornelius Henricus Notmanus Leodien., & Bartholomæus Junchettus de Mutiliano clericus Faventin. Dioc., Petri Pauli Sanctorum Nerei, & Achilei Crescentii. Joannes Alphonus Presbyt. Januen., & Joannes Antonius Pasquadescus laicus, seu clericus Albiuganen. Dioc., Jacobi S. Mariæ de Pace Serra. Rainaldus Magnus Sarfinaten. Canonicus prædictæ Ecclesiæ S. Laurentii in Damaso, & Petrus Antonius Pugliolus presbyter Mutinen., Augustini S. Mariæ in Araceli de Araceli. Didacus de Saverda Canonicus Compoellan., & Joannes de Rojas clericus Seguntin., Gasparis S. Crucis in Hierusalem Borgiæ. Franciscus Maria Costacutus Januen., & Petrus Riccius presbyteri Romanus, Felicitas Sancti Laurentii in Pane, & Perna de Ascuto. Alexander Minerbetus Florentinus, & Horatius Piccinardus clericus Romanus, Roberti Sanctæ Pudentianæ Ubaldini. Timotheus Vannius Viterbien., & Aurelius Martignonus clericus Mediolanen., Tyberii S. Priscæ Muti. Petrus Palla Reatin. Dioc., & Paulus Vicarellus clericus Urbevetan., Julii Sanctæ Sabina Sabellii. Michael Angelus Anchanus clericus Lucen., & Antonius Botta clericus, seu laicus Camerinen., Petri Sancti Thomæ in Parione Camporei. Simon Brunus Nonantulan. Sanctes Foroso clericus Veronen., & Tyberius Fonsius laicus Eugubin., Matthei Sancti Hieronymi Illyricorum Priuli. Gaspar Lusiganus Constantinopolitan., & Delius Cornices clericus Narnien. Dioc., Scipionis Sanctæ Susannæ Cobelutii. Antonius Benedellus presbyter Nonantulan., & Joannes Thomas Guglielmus laicus, seu clericus Pisaren. Dioc., Petri Sancti Salvatoris in Lauro Valerii. Bernar-

Bull. Rom. Tom. V. Par. IV.

dinus Saracinellus Urbevetan., & Petrus Franciscus Busca laici, seu clerici, Julii Sanctæ Mariæ supra Minervam Romæ. Antonius Grassellus clericus Nucerin. Dioc., & Flaminius Maggus laicus Casaris S. Petri in Monte Aureo Gherardi. Lazarus Carafinus Cremonen., & Joannes Bonus clericus Asten., Desiderii S. Clementis Scaliæ. Dionysius Damianus Narnien., & Franciscus Bevolus clericus Tifernas, Stephani Sanctæ Mariæ in Via Titulorum presbyterorum Pignatelli nuncupat. Petrus Franciscus Bonioannes presbyter Firmans prædictæ Ecclesiæ S. Mariæ Majoris Præpositus, & Franciscus Fracassinus laicus Urbevetan., Andrea Sanctæ Mariæ in Via lata Peretti. Josephus Fontanella Regien., & Petrus Paulus Mecis clericus conjugatus Campanen. Dioc., Alexandri Sancti Eustachii Estensis. Clemens Merlinus clericus Forolivien., & Paulus Bofcus laicus, seu clericus Bononien., Caroli Emanuelis Sancti Nicolai in Carcere Pii. Joannes Restius Ragusin., & Petrus Paulus Palmatius laici, seu clerici Tudertin., Aloysii Sancti Angeli in foro Piscium Caponii. Everardus Medius Florentin., & Octavianus de Lotto clericus conjugatus, & Miles prædictæ Militiæ S. Stephani, Caroli Sanctæ Mariæ in Dominica Medices. Dominicus Fedinus Canonicus prædictæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Majoris, & Emilius Feus Miles ejusdem Militiæ S. Stephani, Alexandri S. Mariæ in Cofinedin. Urini Diaconorum S. R. E. Cardinalium etiam nuncupatorum. Laurentius Bernardinus Lucen., Bernardinus de Lupis de sancto Oresto presbyteri Nullius Dioc., & Angelus Colius laicus, seu clericus Senen. bon. mem. Petri Episcopi Sabinen. Aldo brandini. Urbanus Paleonus Civitatis Reatin. Dioc., & Gregorius de Benedictis clericus Maceraten., Jacobi S. Stephani in Monte Celio Sannesi. Franciscus Maria Sinibaldus Forosempionien., Antonius Ghirlandarius Florentin., & Pompejus Normilla clericus conjugatus Venaf. Ladislai nuper ejusdem Sanctæ Mariæ supra Minervam, similiter titulorum ejusdem S. R. E. presbyterorum Cardinalium defunctorum. Frater Christophorus Fucciatus Perusinus Ordinis Sancti Augustini Magister in Theologia cum dicto Joanne Vincentio Episcopo, Frater Ferdinandus Astoricen. Dioc., de Matre Dei Ordinis Carmelitarum Discalceatorum confessorius. Cynthius Clemens Senogallien. Canonicus prædictæ Ecclesiæ Lateranen., & Camillus Gorus clericus conjugatus Physici. Prosper Cecchinus Chirurgus, Casar Magnolus Aromatarius, Joannes Baptista Gallus Urbinaten., & Joannes Maria Lolius Urbevetan. ejus Adjutores. Linus Blasius de sancto Oresto Nullius Dioc., Custos Fontis. Gabriel Renzonus Fesulan. Dioc. Secretarii ejusdem Collegii Adjutor. Antonius Pacificus Campen. Dioc., Magist. Cæremoniarum Adjutor. Blasius Zucchius, & Riccius Tonfius Barbitonfores. Andreas Bocalinus, & Alexius Molla eorum Adjutores. Antonius Bernafonus Ce-

S s

men.

1621. mentarius, Joannes Volpeta Faber Lignarius, Joannes Augustini Mediolanen., Joannes Sorcius, Joannes ad Rotundam, Joannes de Remedio, Antonius Mecus, Dominicus Covaja, Hieronymus Tamansinus, & Felicionus scopatores Conclavis.

§. 22. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, donationis, receptionis, creationis, constitutionis, assignationis, decorationis, aggregationis, liberationis, exemptionis, remissionis, condonationis, dispensationis, legitimationis, absterisionis, abolitionis, restitutionis, decretorum, concessionum, indultorum, praeceptorum, mandatorum, derogationis voluntatum, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae 1620, Idibus Martii, Pont. Nostri Anno Primo.

Decretum penale. Dat. die 15. Martii 1621. Au. I.

III.

Indictio universalis Jubilaei ad divinum auxilium initio Pontificatus implorandum.

Hujusmodi Jubilaeum omnes Pontifices solent indicere in primordiis sui regiminis, nonnullasque Constitutiones legere est in nostra Collectione.

GREGORIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Univerfis Christianis fidelibus, ad quos praesentes litterae pervenerint, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Causa editi hujus Jubilaei.

Spiritus Domini, cujus inenarrabili providentia regimur, & gubernamur, se neminem suorum spernere, hoc tempore praecipue demonstravit; cum abundantiam misericordiae suae in humilitatem nostram derivare dignatus, in suprema B. Petri Sede nos collocando, universi gregis sui curam, nullo meritorum suffragio, nobis commisit. In quo, ut divina agnosceremus dona, ita etiam formidamus judicia. Quoties enim, creditum munus mentis oculo circumspicimus, toties oneris gravitas nos terret, virium nostrarum infirmitatis conscientia conturbat: gregem siquidem indumerabilem, per univrsam Orbem sparsum, nobis creditum cernimus, & gregem quidem non auro, aut argento, sed aeterni Patris unigeniti Jesu Christi Domini nostri sanguinis pretio acquisitum, non paucis in locis non solum Pastoribus, sed paucis etiam destitutis: hinc luporum insidiae non cessantes, illinc praeodonum, & hostium violentia mactare, & perdere aditentium. Quapropter ad Dominum cum Propheta clamare compellimur: Exaltatus humilitatus sum,

& conturbatus, terrores tui conturbaverunt me, circumdederunt me sicut aqua, tota die circumdederunt me simul: ac nisi ejus auxilium, qui nostris humeris tantum pondus imposuit, Nobis adfuturum confideremus, animos plane confideremus; Sed quoniam benignus est Dominus, & non derelinquit sperantes in se, infirmitatem nostram, licet tanto oneri longe imparem, gratiae suae virtute confortabit, ac tribuet, ut sufficere valeamus. Id vero ut impetrare ab aeterno Pastore mereamur, ad vestras orationes, & bona opera confugere ex more Rom. Pont. praedecessorum nostrorum decrevimus. Vos enim, quibus nostra pastoralis impendenda est sollicitudo, apud Deum pro Nobis intercedendo, non vestram minus, quam nostram procurabitur spirituali utilitatem. Quamobrem, ut majori cum fructu administrationi nostri officii suffragari ad divinum auxilium consequendum possitis, de thesauro Ecclesiae, cujus Nos dispensatores sumus, abundanter erogando, ad veram poenitentiam, & pia opera vos incitandos duximus. Dignos itaque fructus poenitentiae faciamus, animas nostras Domino humiliemus, & in hoc sacro Quadragesimali tempore, ubi eo durante, publicata haec nostrae litterae fuerint, ad pensum sanctae institutionis aliquid addamus, corda nostra scindamus, & in oratione, jejunio, ceterisque pietatis operibus unanimiter perseveremus.

§. 1. Quapropter in hac Alma Urbe nostra a Cappella nostra publica Palatii Apostolici ad Basil. Principis Apostolorum in Vaticano, necnon ab Ecclesia S. Mariae Angelorum nuncupata, ad Basilicam Sanctae Mariae Majoris proxima hebdomada, quaerit post quartam Dominicam Quadragesimae, quarta, & sexta feria respective solemnes Processiones de more indicimus, ad quas Basilicas Nos una cum Vener. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, atque Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit; ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, aliisque Praelatis, atque Officialibus Romanae Curiae, univrsoque Clero, & Populo comitante, accedere, dictasque Processiones celebrare statuimus. Ut autem divinam operem efficacius imploremus, & simul effusis multorum precibus fructuosius exaudiamur, omnes, & singulos utriusque sexus Christianifideles ubique existentes enixe in Domino hortamur, & paterna caritate monemus, ut qui in hac Alma Urbe sunt, dicta hebdomada, aut saltem altera sequenti, qui vero extra Urbem in quibusvis orbis Terrarum locis existunt, proxima, aut altera sequenti hebdomada post praesentium notitiam, pias ad Deum preces effundant, ut Ecclesiam suam sanctam tueatur, & protegat, haereticos undique evellere, & extirpare, Fidem Sanctam Catholicam adaugere, & propagare, pacem, & veram concordiam largiri dignetur; Nobis vero vires tribuat, quibus susceptum onus ad ejus nominis gloriam, fide-

Indictio Jubilaei de quo in Rubrica.

fideliumque, & anima nostra salutem administrare valeamus, & ii quidem, qui in eadem Urbe hic praesentes sunt, praedictas Principis Apostolorum, ac Sanctae Mariae Majoris Basilicas, vel unam ex eis, quam maluerint, qui vero alibi extra Urbem erunt, Ecclesiam, seu Ecclesias per locorum Ordinarios, seu eorum Vicarios, aut de eorum mandato, aut iis deficientibus per eos, qui inibi curam exercent animarum, deputandam, seu deputandas, quocumque sibi benevisso ejusdem hebdomadae die, vel diebus, saltem semel devote visitent. Omnes praeterea quarta, & sexta Feria, Sabbatho ejusdem, vel alterius sequentis hebdomadae jejunent, & quantum pro suo quisque arbitrio judicaverit, elemosinas erogent, atque intra hoc ipsum tempus Sacerdotibus ab Ordinario approbatis peccata sua confiteantur, & die Dominico dictum Sabbathi diem proxime subsequente, vel alio die sequentis hebdomadae die, arbitrio Confessarii, Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum devote percipiant. Qui autem in navigatione, vel itinere fuerint, eo peracto, haec ipsa faciant, & exequantur; qui vero regulares utriusque sexus in claustris perpetuo degunt, vel in carcere, aut captivitate detinentur, vel propter corporis infirmitatem, aut aliud quodcumque impedimentum, superius expressa, seu eorum aliqua facere, seu adimplere nequeverint, Sacerdotis Confessarii approbati ab Ordinario, quem elegerint, arbitrio, praedicta omnia, & singula, vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare, vel in aliud tempus, proximum tamen, differre valeant.

Concessio plenaria indulgentiae.

§. 2. Quae omnia, ut eo libentius praestare studeant, quo uberius spiritualibus muneribus, & gratiis a Nobis se reflectos esse cognoverint; De Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Deus Nobis licet indignis contulit, omnibus, & singulis praedictis, qui praedicta adimpleverint, plenissimam peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, sicut in Anno Jubilaei, visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium concedimus, & elargimur. Necnon eisdem fidelibus etiam cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti regularibus utriusque sexus facultatem impertimur eligendi sibi Presbyterum Confessarium tam secularem, quam cujusvis Ordinis, vel Instituti regularem, ex approbato ab Ordinario locorum, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententis, & censuris a jure, vel ab homine, quovis modo, vel causa latis, seu inflicis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam in casibus tam locorum Ordinariis, quam Nobis, & Sedi Apostolicae, etiam in literis die Coenae Domini legi consuetis, atque alias etiam per Bull. Rom. Tom. V. Par. IV.

quascumque Rom. Pont. praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodolibet reservatis, in foro tantum conscientiae, hac vice dumtaxat absolvere. Et insuper vota quaecumque (religionis, & castitatis tantummodo exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis casibus poenitentia salutaris, ac aliis injungendis, possint, & valeant.

§. 3. Mandantes insuper venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis quibuscumque Ecclesiarum Praelatis, & locorum Ordinariis in virtute sanctae obedientiae, ut cum harum litterarum transumpta, aut exempla acceperint, illa statim per suas Provincias, Ecclesias, Dioceses publicent, & publicare faciant, Cleroque, & populo sibi subiecto solemnes processiones, sicut Nos in praedicta Urbe indicimus, indicant, & celebrent. Per praesentes autem, super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, aut inhabilitate quomodolibet contracta non intendimus, nec etiam in foro conscientiae dispensare, neque ullam facultatem tribuere dispensandi. Ac declaramus has ipsas praesentes, quoad absolutionem in foro conscientiae, & poenitentiae tantum, non autem in foro fori, seu contentioso consequendam, neque etiam quoad dictum forum conscientiae iis, qui ab aliquo Judice excommunicati, suspensi, vel interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus celebrationis hujusmodi Jubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, neque pariter haereticis, aut schismaticis specialiter declaratis, seu condemnatis ullo modo suffragari.

Jubilaeum ubique locorum publicandum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, praesentibus quibus absolvendi facultas in certis tunc expressis casibus, ita specialiter Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Jubilaei, Indulgentiarum, aut facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari valeat, necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, & institutorum, regularium juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis: quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut expressio habenda, vel quaevis alia exquisita forma ad hoc servan. foret, illarum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac formam in illis traditam penitus pro servata habentes, hac vice specialiter, & expresse ad effectum praesentium derogamus, ceterisque contrariis quibuscumq.

Derogatio contrarium.

1621. Fides Transumptorum.

§. 5. Volumus autem, ut presentium transumptis, vel exemplis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique gentium, & locorum adhibeatur, quae ipsis presentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Dat. die 17. Martii 1621. An. I.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae, millesimo sexcentesimo vigesimo 16. kal. Aprilis, Pont. nostri anno primo.

I V.

Ex Regest. in Secret. Brevis.

Confirmatio literarum Clementis VIII., & Pauli V. super regimine, & visitatione Monasteriorum Monialium Ordinis Carmelitarum Discalceatorum in Regno Galliae.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

Qua & Clemente VIII. & Paulo V. circa Moniales Ord. Carmelitarum. Discalce. Regni Franciae. Hactenus sunt, recenset.

CUM pridem, postquam se: Clementis Papa VIII. Praedecessor noster Monasterium Monialium Ordinis Carmelitarum Discalceatorum noviter tunc in Civitate Parisien. erectum, ejusque Abbatissam, seu Priorissam, & Conventum ab Ordinarii loci jurisdictione, & superioritate eximerat, ac Sedi Apostolicae immediate, ac visitationi, & correctioni Commissarii Generalis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum subjecerat, & ex eo quod Ordo praedictus Carmelitarum Discalceatorum in Regno Franciae tunc nondum introductus erat, voluerat, ut donec Ordo praedictus in dictum Regnum introduceretur, Monasterium praedictum visitationi, & correctioni Prioris Generalis Ordinis Cartusien., ac administrationi trium virorum in literis apostolicis super ipsius Monasterii erectione expeditis nominatorum subiectum esset: Per rei: mei Paulum Papam V. etiam Praedecessorem nostrum accepto, quod dictus Generalis in vim decreti in Capitulo generali posterioris Ordinis celebrato facti, onus hujusmodi recusaverat, idem Paulus Praedecessor, ne Monasterium praedictum aliquod in spiritualibus detrimentum pateretur, de prudentia, fide, & integritate dilecti filii nostri Maphaei tituli Sancti Honuphii Presbyteri Cardinalis Barberini nuncupati tunc in minoribus constituti, & tunc Archiepiscopi Nazareni, ac Apostolicae Sedis apud clare memoriae Henricum Francorum Regem Christianissimum Nuncii plurimum in Domino confisus, eidem Maphaeo Cardinali, & pro tempore dictae Sedis Nuncio in Regno praedicto commoranti, ut singulis trienniis, donec aliud circa praemissa ab Apostolica Sede mandatum foret, & etiam si dicti Fratres Carmelita Discalceati tunc jam forsitan Parisiis, vel alibi in dicto Regno Conventus obtinerent, aut impostum assen-

quereretur, aliquem Presbyterum secularem aetate gravem, ac vita, & probitatis spectata ex duobus sibi per praedictos Administratores nominandis, ac presentandis in visitatorem dicti, & aliorum Monasteriorum Monialium Carmelitarum Discalceatorum in dicto Regno eatenus erectorum, & deinceps erigendorum deputata, ac deputanda ejus arbitrio etiam infra triennium revocare, ac finito triennio, ad aliud triennium, & non ultra, confirmare, auctoritate apostolica posset, & valeret, facultatem, & auctoritatem concesserit, & impartitus fuerit: ac visitatori sic, ut praefertur, deputato, praedictum, nec non alia quaecumque Monasteria Monialium primo dicti Ordinis in toto Regno praedicto tunc, & pro tempore erecta, eorumque superiores, Abbatissas, seu Priorissas, & Moniales, ceterasque personas in eis degentes visitare, ac tam in capite, quam in membris corrigere, reformare, ac in singularum vitam, mores, ritus, & disciplinam inquirere, nec non Evangelicae, & Apostolicae doctrinae, factorumque Canonum, & generalium Conciliorum decretis, & Sanctorum Patrum traditionibus, ac regularibus dicti Ordinis institutis inherendo, quaecumque mutatione, correctione, reformatione, renovatione, innovatione, aut etiam ex integro editione indigere cognosceret, immutare, corrigere, & reformare, emendare, revocare, & de novo constituere, abusus quoscumque tollere, bonas, & laudabiles institutiones, & in primis divinum cultum, ac monasticam disciplinam, & regularem observantiam ubicumque excidissent, modis congruis restituere, ipsasque moniales, & alias personas praedictas ad regularis clausurae formam, ac debitum, & honestum vitae modum reducere, & si aliquas in aliquo delinquentes reperiret, eas juxta Canonicas Sanctiones, & regularia dicti Ordinis instituta punire, & castigare, graviora vero quaecumque in scriptis redacta ad eundem Paulum Praedecessorem diligenter deferri facere: ac quaecumque rebelles, & praemissis non parentes per censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravare, interdictum ecclesiasticum apponere, ac etiam si opus foret, auxilium brachii secularis invocare, omniaque alia, quae visitationem, & reformationem concernerent, pro dictorum Monasteriorum, eorumque Monialium prospero statu dirigen. necessaria, & opportuna forent, facere, & exequi posset, & valeret, similiter facultatem concesserit, & impartitus fuerit: subinde vero dictus Paulus Praedecessor, qui in praedicto Galliae Regno Congregationem Clericorum Oratorii nuncupatam, in cujus Generalem Praepositum dilectum filium Petrum Borulle Presbyterum Parisien. virum pietate, & vitae probitate fide dignis testimoniis comen-

mendatum deputavit, crexit, & instituit: per ipsum pariter accepto, quod Congregatio praedicta ex Presbyteris pietate, & doctrina conspicuis, aetate gravibus, zeloque erga religionem catholicam, & fidem apostolicam praestantibus composita erat, & uberes fructus in vinea Domini producebat, ut sperandum esset, Petrum, & futuros dictae Congregationis Praepositos cum multo Abbatissa, seu Priorissa, & Conventus ejusdem, ac aliorum primodicti Ordinis Monasteriorum Monialium spirituali fructu circa praemissa, si id oneris sibi apostolica auctoritate demandaretur, vacaturos esse; Motu proprio, non ad dicti Petri, aut Congregationis, aut Abbatissae, seu Priorissae hujusmodi, vel aliorum primodicti Ordinis Monasteriorum eatenus in dicto Regno erectorum instantiam, sed ex certa scientia, ac mera deliberatione suis, deque apostolicae potestatis plenitudine facultatem Maphaeo Cardinali, & pro tempore existenti Apostolicae Sedis Nuncio in Regno Franciae deputat., confirmandi, & revocandi visitatorem, ac eidem visitatori sic deputato, & confirmato circa primodicti, ac aliorum primodicti Ordinis Monasteriorum, illorumque Abbatissarum, seu Priorissarum, & Monialium, aliarumque illorum personarum visitationem, aliaque praemissa per ipsum, ut praefertur, concessam, & attributam, circa praemissa eatenus gestorum revocavit, ac viribus evacuavit, nec non primodictum, ceteraque primodicti Ordinis Monasteria tam eatenus in universo Franciae Regno erecta, quam deinceps perpetuis futuris temporibus erigendo, cura, visitationi, correctioni, & superioritati dicti Petri, ac pro tempore existenti Praepositi Generalis ejusdem Congregationis, qui hujusmodi Monasteria, eorumque Superiores, Abbatissas, seu Priorissas, & Moniales, & alias personas in eis degentes visitare, ac tam in capite, quam in membris corrigere, & reformare, ac in singularum vitam, ritus, mores, & disciplinam diligenter inquirere, nec non evangelicae, & apostolicae doctrinae, factorumque Canonum, & generalium Conciliorum decretis, ac SS. Patrum traditionibus, ac regularibus primodicti Ordinis institutis inherendo, quaecumque mutatione, correctione, reformatione, emendatione, revocatione, & renovatione indigere cognosceret, mutare, corrigere, reformare, emendare, revocare, & de novo Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, ac Constitutionibus apostolicis, regularibusque dicti Ordinis institutis non contraria, concedere, abusus quoscumque tollere, nec non bonas, & laudabiles institutiones, ac in primis divinum cultum, disciplinam, regularemque observantiam, ubicumque excidissent, modis congruis restituere, ac ipsas Moniales, & alias personas praedictas ad regularis clausurae formam, ac debitum, & honestum vitae modum juxta Sacri Concilii Tridentini decreta reducere, & si aliquas in aliquo delinquentes reperiret,

cas juxta Canonicas Sanctiones, & regularia primodicti Ordinis instituta punire, corrigere, & castigare, quaecumque vero graviora reperiret, ea in scriptis redacta ad Romanum Pontificem pro tempore existentem deferri facere, ac quaecumque rebelles, & praemissis non parentes per censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescere, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & poenas ipsas aggravare, & reaggravare, interdictum ecclesiasticum apponere, ac si opus esset, auxilium brachii secularis invocare, nec non omnia, & singula in praemissis, & circa ea quomodolibet necessaria facere, & exequi libere, & licite posset, & valeret, ad Sedis apostolicae beneplacitum subjecit, & suppofuit, prout in ipsius Pauli Praedecessoris in simili forma Brevis sub die 17. Aprilis 1714. desuper expeditis literis plenius continetur.

§. 2. Ac demum pro parte Charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi eidem Paulo Praedecessori exposito, quod dictus Petrus regimini, & gubernio Monialium primodicti Ordinis cum multo illarum spirituali fructu, ac Christianifidelium edificatione vacaverat: idem Paulus Praedecessor Motu, scientia, deliberatione, ac apostolica potestatis plenitudine paribus, literas praedictas, ac omnia, & singula in eis contenta sub certis modo, & forma tunc expressis approbavit, & confirmavit, prout in aliis ejusdem Pauli praedecessoris in eadem forma Brevis sub die 14. Martii 1620. desuper expeditis literis plenius similiter continetur.

§. 3. Cum autem, sicut accepimus, idem Paulus Praedecessor per eum similiter accepto, quod ejus literae praedictae non solum a Fratribus, & ab omnibus Monialibus Discalceatis dicti Ordinis non observatae, sed nonnulla potius contra earum tenores attentata fuerant: & propterea dictus Paulus de iis, quae a Monialibus ad suum favorem allegabantur, nec non de praetensis eorundem fratrum juribus informatus, sicut ab earum Procuratore exposita, & coram dilectis filiis nostris S. R. E. Cardinalibus, quibus negotium audiendum, & sibi referent. commiserat, deducta fuerunt, & sibi relata, eisdem literas modo, & forma infra scriptis observan. decreverat.

§. 4. Vetum superveniente illius obitu, literae desuper expeditae non fuerint.

§. 5. Nos, qui subinde divina disponente clementia ad summi apostolatus apicem assumpti sumus, volentes eandem literas, & in eis contenta quaecumque, tam a dictis fratribus, quam ab omnibus Monialibus Discalceatis hujusmodi de cetero inviolabiliter observari, earumdemque Monialium quieti, & statui, quantum cum Domino possumus, consulere, de omnibus, & singulis praemissis supra allegatis, & praetentis similiter, ut praefertur, informati, nec non dictarum literarum veriores, &

Acque etiam confirmata.

Reclamantibus tamen Monialibus, & Ord. Carmel. suspensioribus.

Sed Pauli superveniente obitu Literae Apostolicae minime expeditae fuerunt.

Gregorius primas Pauli literas ratas habet.

totos tenores, perinde ac si infererentur, presentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, Motu proprio, & ex certa, ac mera scientia, & deliberatione nostris, deque apostolice potestatis plenitudine literas predictas, ac omnia, & singula in eis contenta tenore presentium etiam approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis apostolica firmitatis robur adiuicimus.

Eaque precipue observari.

§.6. Mandantes propterea in virtute sancte obedientie fratribus, ac omnibus, & singulis Abbatibus, seu Prioribus, & Monialibus Discalceatis Ordinis predicti, aliisque personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus, ac quavis auctoritate, & potestate fungentibus, ne per se, vel alium, seu alios directe, vel indirecte ex quacumque causa, titulo, aut quasto colore, vel ingenio contra literarum predictarum continentiam, & tenorem venire, aut quicquam aliud moliri, tentare, aut innovare quoquo modo audeant, vel presumant: quinimo dictae Abbatissae, seu Priorissae, & Moniales omnes, & singula eidem Petro moderno, & pro tempore existenti dictae Congregationis Oratorii Praeposito Generali, & aliis duobus predictis tanquam suis superioribus iuxta presentium literarum tenorem pareant, & obtemperent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tulerit, seu statuerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Clausula.

§.7. Decernentes nihilominus predictas, & presentes literas, & omnia, & singula in illis contenta valida, firma, & efficacia esse, & fore, ac ab omnibus, & singulis predictis inviolabiliter observari, & ita pro quocumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ubique judicari, & definituri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§.8. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Paulus Praedecessor in eisdem literis voluit non ob stare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 20. Martii 1621. An. I.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 20. Martii 1621. Pontificatus nostri anno I.

Et Reges. In decret. Brev.

V.
Monasteria Monialium Reformatarum Ordinis Sancti Benedicti in Regno Franciae committuntur curae Cardinalis de Rez, Archiepiscopi Senonensis, & Superioris Monachorum Reformatarum ejusdem Ordinis S. Benedicti.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

AD militantis Ecclesiae regimen, divina dispositione, meritis licet impa-

ribus, evecti, illud praeter ceteris curandum proposuimus, ut Religiosorum Ordines ad pristini cujusque regularis eorum instituti normam, quantum cum Domino possumus, reduceremus, & propterea, qui sua sponte religionis, & arctioris vitae zelo ducti pristinae Regulae, quam sua Religio auctores susceperunt, observantiam amplecti, & de caetero sectari desiderant, eosdem non solum in eorum proposito confovere, sed etiam opportunis favoribus, & gratiis prosequi solemus.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, quod non ita pridem unum Monasterium Monialium Reformatarum nuncupatarum Ordinis Sancti Benedicti sub illius primitiva Regula in Pictaviensi, & successive ad illius instar aliud in Andegaven., ac aliud in Leonen. Civitatibus, nec non reliquum in Oppido della Val Cenomanen. Diocesis. Monasteria erecta, ac cura, & gubernio dilectorum filiorum Abbatissae generalis, & Monachorum Congregationis Beatae Mariae Fulien. etiam nuncupatae Cisterciens. Ordinis commissa fuerunt, nec non ad Monasteria hujusmodi quondam Antonia de Orleans, dum vixit, Priorissa Monasterii Monialium de Lencastro Ordinis Fontis Ebraldi sub Regula Sancti Benedicti Pictaviensi. Diocesis, ac diversae aliae dicti Monasterii Moniales melioris vitae studio ductae, de licentia Sedis Apostolica se transfulerunt.

Nonnulla Monasteria Ordinis Sancti Benedicti in Gallia reprobantur commissa curae Abbatis Gen. Congreg. Fulien.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, cura, & gubernium dilectorum Monasteriorum regularibus eorumdem Monachorum institutis adverteretur: & propterea his, & aliis certis de causis Abbas, & Monachi hujusmodi curae, & gubernio predictorum, & aliorum pro tempore erigendorum Monasteriorum dilectorum Monialium vacare non possint, & trium primordiorum Monasteriorum Moniales curae, regimini, jurisdictioni, & administrationi dilecti filii nostri Henrici Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis de Rez nuncupati, ac Venerabilis Fratris Joannis Archiepiscopi Senonensis, nec non Superioris Monachorum Reformatarum Ordinis Sancti Benedicti in Regno Franciae se se submittere, ac multa aliae simili studio accensa, illarum vestigia sequi desiderent; Curam vero, & gubernium hujusmodi Henricus Cardinalis, & Joannes Archiepiscopus, nec non Superior Monachorum Reformatarum dicti Ordinis in Regno Franciae predicti suscipere parati sint: Nobis propterea dictus Ludovicus Rex ne tam salutare in Ecclesia Dei opus imperfectum remaneat, humiliter supplicari fecit, ut super praemissis modo, & forma infra scriptis providere de benignitate apostolica dignaremur.

Dilectam postea hujusmodi curam ab eodem Abbate Ludovicus Rex alii vixit petit demandari.

§.3. Nos igitur, qui pro nostri pastoralis officii debito sanctimonialium statui prospere dirigendo libenter intendimus, pium dicti Ludovici Regis desiderium plurimum in Domino commendantes, hujusmodi sup-

Commisit Pont. Card. de Rez, Archiep. Senonensis, & Superiori Monachorum.

Reform. Ordinis S. Benedicti.

plicationibus inclinati; ut praedicta, & alia quaecumque Monialium Monasteria in Regno Franciae pro tempore canonice erigen. Ordinis Sancti Benedicti Regulam, & primitiva instituta cum pristino illo rigore suscipere, & observare, & praedictorum superiorum cura, & regimini se subicere, de consensu tamen Ordinariorum libere, & licite valeant, cum hoc tamen, ut dilectorum Monasteriorum, postquam Regulam, & Institutum hujusmodi susceperint, Priorissae triennales esse debeant: in eodem tamen Priorissae officio ad aliud triennium dumtaxat confirmari possint, auctoritate apostolica, tenore presentium perpetuo concedimus, & indulgemus: ac ex nunc primordiae quatuor, praevia illorum a cura, gubernio, & administratione Abbatis, & Monachorum Congregationis hujusmodi, quatenus opus sit, opportuna abdicatione; & quaecumque alia Monialium primitivam, Ordinis Sancti Benedicti Regulam amplecti volentium Monasteria cum eorum omnibus bonis mobilibus, & immobilibus, cuiuscumque generis, speciei, valoris, naturae, quantitatis, & qualitatis existentibus cura, regimini, administrationi, & jurisdictioni Henrici Cardinalis, & Joannis Archiepiscopi praedictorum, quoad vixerint, & eorum quilibet vixerit, ac pro tempore existentis in dicto Regno Superioris Monachorum Reformatarum dicti Ordinis Sancti Benedicti subicimus, supponimus, & submittimus, illisque, vel illorum cuilibet in aliorum duorum absentia dilectorum Monialium Visitatorem, qui ad triennium duret, ac pro prima vice dumtaxat Superiorem ex dilectis Monachis reformatis eligendi, & deputandi: ita tamen, ut si Henrici Cardinalis, aut Joannis Archiepiscopi praedictorum vita durante Superior, ut praefertur, electus, & nominatus non fuerit, omnis auctoritas, & superioritas ad praedictorum Monachorum reformatarum Superiorem tunc existentem devoluta esse censetur, & talis Superior tunc omnimoda, seu ordinaria auctoritate in dictas Moniales polleat, ipsique Henrico Cardinali, & Joanni Archiepiscopo, nec non Superiori conjunctim, vel duobus eorum in alterius absentia, omnes, & singulas Constitutiones, & statuta praesertim a dicta Antonia pro observatione primitivae Regulae hujusmodi condita, sacris tamen Canonibus, & Conciliis non contraria approbandi, & etiam alia similiter non contraria, ut praefertur, condendi. Insuper, quod antiqua dicti Ordinis Monasteria, in quibus vera ipsius Sancti Benedicti regula observabatur, accedente consensu Ordinariorum locorum, sub quorum jurisdictione existent, dictae Congregationis privilegia gaudere: quodque in eisdem Ordinis non reformati Monasteriis, etiam si illa Henrico Cardinali, ac Joanni Archiepiscopo, ac Superiori praedictis non subsint, subiecta pro spirituali eorumdem Monasteriorum consolatione, aliqua reformatae hujusmodi Moniales capaces, & idoneae pro primitiva hujusmodi Regulae San-

cti Benedicti introductione, recipi libere, & licite possint, & valeant, licentiam, & facultatem auctoritate, & tenore praedictis concedimus, & impertimur.

§.4. Praeterea omnibus, & singulis dilectorum Monasteriorum Monialibus, & personis pro tempore existentibus, ac Monasteriis, & Locis regularibus, eorumque bonis, & rebus, quod omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, indultis, exemptionibus, praerogativis, & aliis gratiis tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus alia dicti Ordinis Sancti Benedicti Monasteria, & loca regularia, eorumque personae de jure, vel consuetudine, aut aliis quomodolibet ununtur, potiuntur, & gaudent, pari modo uti, potiri, & gaudere possint, & valeant, etiam perpetuo concedimus, & indulgemus.

Is Monasteriis ceterorum Monasteriorum privilegia concedit.

§.5. Postremo omnibus, & singulis dilectis Monialibus, die quo habitum susceperint, & professionem in eadem Congregatione emisserint regulares, si vere poenitentes, & confessae Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumperint, plenariam; iisque in cujuslibet earum mortis articulo, si vere poenitentes, & confessae, ac Sacrae Communionis refectae, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contrita nomen Jesu ore si potuerint, sin autem corde devote invocaverint, etiam plenariam; Ac tam ipsi Monialibus, quam quibuscumque aliis utriusque sexus Christianis vere poenitentibus, & confessis, ac Sacrae Communionis refectis, qui Monasteriorum dictae Congregationis Ecclesias in secundo Paschalis Resurrectionis, ac Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, nec non Assumptionis Beatae Mariae Virginis festis diebus a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi, singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die festivitatum praedictarum id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Monialibus indulgentias nonnullas largitur.

§.6. Decernentes praesentes literas semper, & perpetuo validas, & efficaces esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc spectat, & pro tempore spectabit, firmiter, & inviolabiliter, ac inconculse observari, & adimpleri debere: irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

§.7. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariis.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima secunda Martii 1621. Pontificatus nostri Anno I.

Dat. die 22. Martii 1621. An. I.

Privilegia, Indulta, Gratia, Facultates, & Exemptiones concessa Cubiculariis, qui Sanctitati Suae inferviebant.

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabili Fratri Galeatio Archiepiscopo Barren., Domus, & Palatii nostri Praefecto, ac dilectis filiis Petro Pavonio Ariminen. Cubiculi nostri Praefecto, Clementi Leoni Bononien. Pincerna, Francisco Volpara Bononien. Dapifero, Marco Antonio Gozzadino Bononien., Mario Bovio Bononien. elemofynario secreto, Artilio Aristo Bononien. Fratri Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Foreris majori, Carolo Lilio Romano, Josepho Simoni Lucan., Bernardino Castellano Alben. Medico, Francisco Cecchino Romano, Paulo Alaleoni Romano, Joanni Antonio Pavonio Ariminen., Ernesto Adalberto ab Harrach Viennens., Raphaeli Pinchiario Bononien. Caudatario, Stephano Pinchiario Bononien. Hippolyto Boncompagno Romano, Michaeli Angelo Castello Bononien. Cappellani secretis, Livio Sonantio Reatin., Thoma Scribanario Bononien., Jacobo Domenichino Bononien. conjugato, Augustino Mirono Tyburin. Diacon. etiam conjugato, nec non Gaspari Palonio Romano Secretario nostro domestico, ac respective Cubiculariis, & Familiaribus, continuis Commensalibus nostris Clericis salutem, & apostolicam benedictionem.

Procuratorum.

Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos, & fideles suos, illos praesertim, qui grata familiaritatis obsequia jugiter ei impendunt, ac quos ad id alias propria virtutum merita commendant, honoris, & famae amplioribus praeconiis, ac praeclearis dignitatibus titulis decorare, & ornare, nec non specialis benevolentiae favoribus amplecti solet, prout personarum qualitatibus conspicit convenire.

§.1. Hinc est, quod Nos ad grata familiaritatis obsequia, quae vos, qui etiam continui commensales nostri existitis, & quilibet vestrum nobis haecenus impendistis, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistitis, nec non vita, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus personas vestras etiam familiariter experientia juvari percepimus, conditionem rationem habentes, ac propterea easdem personas vestras peculiaris favoris gratia, ac specialis honoris, & excellentiae dignitatis titulo sublimare volentes, vos, & quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliusque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes;

Pontifex Cubicularis concedit privilegia subsequenti, scilicet eos creat Notarios Sedis Apostolicae sine praedictio participanti.

tes; Motu proprio, non ad vestram, vel alterius pro vobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, & certa scientia nostris, ac de apostolica potestatis plenitudine; Vos, & quemlibet vestrum respective in nostros, & Sedis Apostolicae Notarios (sine tamen praedictio dilectorum filiorum nostrorum Notariorum de numero participantium) apostolica auctoritate, tenore praesentium recipimus.

§.2. Ac Sacri Palatii, & Aulae Lateranensis. Comites, nec non Auratae Militiae Equites, ac Nobiles Romanos, & Urbis Romae, omniumque, & singularum aliarum Civitatum, Terrarum, & Locorum Romanae Ecclesiae mediate subditorum cives, cum omnibus jurebus, jurisdictionibus, praerogativis, & insignibus debitis, & consuetis creamus, ac constituimus, ac in numerum, & consortium aliorum nostrorum, & ejusdem Sedis Notariorum, nec non Palatii, & Aulae hujusmodi Comitum, Equitum, & Nobilium Romanorum, aliorumque Civium Civitatum, & Terrarum praedictarum referimus, & conscribimus.

§.3. Vobisque, etiam si habitum, & Rochettum Notariorum dista Sedis juxta decreta Lateranensis Concilii novissime celebrati non deferatis, aut Civitates hujusmodi non incoleritis, nec unquam in eisdem Civitatibus domicilium habueritis, ut omnibus, & quibuscumque privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus ceteri omnes Notarii nostri etiam de numero participantium, ac Comites, Equites, & Nobiles (citra tamen exemptionem a Concilio Tridentino sublatam, ac facultates legitimandi, ad gradus promovendi, Notarios, seu Tabelliones creandi, aliaque hujusmodi privilegia a Notariis, & Comitibus praefatis praesentia), ita ut illis utinullibi valeatis, ac irritum, & inane existat, quicquid secus per vos, aut quemlibet vestrum respective attentari contigerit.

§.4. Nec non Cives originarii, etiam in dignitatibus, beneficiis, & officiorum ecclesiasticorum, ac secularium, etiam ex personis Romanorum Civium originariorum vacantium assequutione, & exercitio tam in Urbe, quam in Civitatibus praedictis, & aliis ubique locorum, & gentium, nec non Sessionum, & Conventuum utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum; non solum ad eorum instar, sed pariformiter, & aequè principaliter, ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiae, & indulta hujusmodi pro vobis emanassent, uti, potiri, & gaudere, ac in omnibus, & singulis Apostolicis, aliisque literis, instrumentis, & scripturis publicis, & privatis deinceps nomine vestro conficiendis, vos Notarios, Comites, Equites, & Nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, nec non Romanae, & aliarum Civitatum, & Terrarum praedictarum Cives,

Horumque privilegiis praeter hic descripta etiam si habitum non deferant, utantur.

Etiam in assequutione Beneficiorum, & Ecclesiasticorum.

prout libuerit, inscribere, & vos illis subscribere valeatis, ac pro veris, & non fictis Notariis, Comitibus, Equitibus, & Nobilibus, ac Civibus habeamini, nihilque, qualecumque illud fuerit, cum iis expressione subreptitum, aut obreptitum, vel invalidum, sed illud idem efficax in omnibus censetur, nec non honoris causa insignia gentis nostrae, sive integre, sive cum vestris respective composita, gestare possitis, prout vobis placuerit, concedimus.

§.5. Et insuper vos, vestraque beneficia, & officia ecclesiastica quaecumque, quotcumque, & qualiacumque, illorum fructus, res, & jura, ubicumque locorum, Regnorum, & Provinciarum, nec non in Urbe, Civitatibus, Terris, & locis eidem Romanae Ecclesiae mediate, vel immediate subiectis consistentia, praedia, domos, possessiones, & bona patrimonialia, aliaque temporalia, mobilia, & immobilia, ac fomentum, nec non actiones, & jura praesentia, & futura, cujuscumque qualitatis, quantitatis, & naturae, & cujusvis etiam annui valoris, fructus, redditus, & proventus hujusmodi sint, vel fuerint, ac etiam quaecumque a vobis vendenda, ac pro vestris, & familiarum vestrarum usibus emenda ab omnibus, & quibuscumque decimis, quartis, & dimidiis partibus, subsidii etiam caritativis, nec non vectigalibus, portoriis, tributis, dantiis, pedagiis, collectis, & quocumque alio modo nuncupatis, angariis, perangariis, ceterisque oneribus, & contributionibus tam urbanis, quam rusticis, ordinariis, & extraordinariis, realibus, personalibus, & mixtis, etiam ratione munitionum, moenium, & pontium, portarum, moliturarum, & mercium cujuscumque generis, transitus, seu passus, & vecturae, etiam in aliud Territorium, seu Provinciam, Terra, Mari, & Flumine, nec non equorum mortuorum, stabulationum militum, institutionis Seminariorum Ecclesiasticorum, aut quaecumque alia quantumvis gravi, etiam gravissima causa (pro subventionem contra infideles dumtaxat excepta) nunc, & pro tempore impositis; ita quod vos, & quemlibet vestrum nihil omnino horum, aut aliorum similium subire teneamini, nec per Camerae Apostolicae, aut alios Commissarios, seu vestigalium, & tributorum hujusmodi redemptores, conductores, & exactores, quocumque privilegio, exemptione, & facultate suffultos, aliis quam, ut praesertur, valeatis coarctari (quamdiu servitibus nostris infisteritis dumtaxat) eximimus, & liberamus.

§.6. Ad haec vobiscum, & cum quolibet vestrum respective, ut quaecumque duo dissimilia, vel simplicia similia, sub singulis tribus testibus quarumcumque trium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, aut aliarum Ecclesiarum consistentia, etiam si unum ex illis omnibus cum cura, aut dignitate etiam major, & principalis Canonici, & praebentis, personatus, administratio, vel officium fuerit, & ad dignitatem, personatum, administrationem, vel officium hu-

Dispensatio ad duo dissimilia, vel simplicia similia sub singulis testibus testis.

jusmodi consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, si alicui vestrum alias canonice conferantur, aut quisque vestrum eligatur, praesentetur, aut alias assumatur ad illa, & instituat in eis, recipere, & dummodo illa omnia (uno excepto) personalem residentiam non requirant, insimul quoad vixeritis retinere.

§.7. Nec non etiam, quamdiu Nobis inservieritis tantum, in beneficiis ecclesiasticis, etiam curatis, non tamen Parochialibus, nec curatis cura animarum Parochianorum, per vos pro tempore respective obtentis, etiam de jure, statuto, fundatione, vel privilegio personalem residentiam requirantibus, etiam si dignitates in Cathedralibus etiam Metropolitanis majores, ac Collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneamini, nec ad id per Locorum Ordinarios, aut Ecclesiarum earundem Capitula, seu quovis alios ad residendum interim in illis inviti compelli possitis, omnesque, & singulos vestrorum beneficiorum obtentorum fructus, redditus, & proventus, durante servitio praedicti, cum ea integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperitis, si in eisdem Ecclesiis, sive locis personaliter resideretis, percipere, exigere, & levare.

§.8. Ac interim, vel postmodum, si volueritis, hic in Romana Curia, vel extra eam a quocumque malueritis catholico antistite gratiam, & communionem ejusdem Sedis habente, quem duxeritis eligendum, ad omnes etiam sacros, & presbyteratus ordines aliquibus tribus Dominicis, vel aliis festivis diebus, etiam extra tempora a jure statuta, proprii Ordinarii, aut cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, si aliis idonei ad id reperti fueritis, super quo antistitis conscientiam oneramus, promoveri, & in illis promoti etiam in altaris ministerio ministrare.

§.9. Nec non etiam si Presbyteri fueritis, ac dignitates, & officia obtineritis, leges, & jura civilia etiam publice in scholis, & Universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo trigessimus aetatis annus non excesseritis, audire, & si habiles, & sufficientes reperti fueritis, etiam ad Doctoratus gradum in hujusmodi facultate vos promoveri facere, ipsaque jura etiam publice docere, atque iudicis, Advocati, & Procuratoris officium in causis ecclesiasticis civilibus tantum exercere libere, & licite possitis, & valeatis, auctoritate, & tenore praedictis de specialis dono gratiae dispensamus.

§.10. Liceat quoque vobis, & cuilibet vestrum aliquem idoneum, & ab Ordinario approbatum Presbyterum secularem, vel cujusvis Ordinis regularem in vestrum eligere Confessorem, qui vita ejus comite vos, & quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris,

Nec non a residentia durante servitio Pont. cu perceptione omnium fructuum distributionibus quotidianis exceptis.

Facultas recipiendi Ordin. nec etiam sacros a quocumque catholico antistite, etiam extra tempora, & sine licentia ordinarii.

Indultum audiendi leges, & eas docendi, & disceptandi iudicis, Advocati, & Procuratoris officium in causis ecclesiasticis civilibus tantum exercendi.

Licentia eligendi sibi Confessarium cum facultate eor ab omnibus hic expressis absolventi.

T t

Bull. Rom. Tom. IV. Par. V.